II R 3922

T, 182.

IOANNIS TOBIAE KREBSII

ILLVSTRIS MOLDANI RECTORIS

COMMENTATIO PHILOLOGICA

DE

AMICO CONSENSV

EBRAEORVM GRAECORVM ROMANORVM

IN POENA

HOMICIDAE NON VOLVNTARIO

CONSTITVENDA.

LIPSIAE

EX OFFICINA IACOBAEERORVM

CIↃIↃCCLXXXI

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

ILLVSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO

DOMINO

FRIDERICO GOTTLOB DE BERLEPSCH

SVPREMI SENATVS SACRI ECCLESIASTICI

PRAESIDI

GRAVISSIMO VIGILANTISSIMO

PATRONO SVO PIE VENERANDO

D. D. D.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-735913-p0005-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-735913-p0006-9

VIR ILLVSTRISSIME EXCELLENTISSIME

PATRONE PIE VENERANDE

In cauſis, quibus ingenii, doctrinaeque monimentorum auctores inuitati et ducti Commentationes ſuas Viris magnis inſcribere ſolent, etſi et aliae probabiles et honeſtae ſunt; nulla tamen facile eſt ponenda, quae amabiliore dote probetur, honeſtatisque gratia magis commendabilem ſeſe reddat, quam ea, quae a pietatis ſenſu publice decla-

rando

rando ducatur. Nam Pietatis ea ratio, ea vis est, vt non angustis taciti animi finibus contineri se cohiberique velit, sed in lucem, adspectumque aliorum prodire, seque conspici gestiat. Et hoc ipsum pietatis in TE meae publice declarandae studium solum (non lucelli cuiusdam faciendi spes, non vanae gloriolae captandae cupido, quod vtrumque in hac praesertim aetate mea senescente, et indies magis magisque ad metam decurrente, parum curo) in causa fuit, quod hanc Commentationem, omnium mearum vltimam, ILLVSTRISSIMO NOMINI inscribere auderem TVO. Nam ex eo inde tempore, quo prouidentia divina, sapientissima rerum humanarum gubernatrice, sapientissima PATRIS patriae nostrae OPTIMI cura, felicissimaque Virorum magnorum censura, omnium bonorum votis, applaudentibus cunctis Reipublicae literariae ciuibus TIBI h. e. TVAE fidei, integritati, vigilantiae, prudentiae, indefessae industriae,

striae, et religiosae in negotiis obeundis dexteritati, grauissimum illud PRAESIDIS *in Supremo Senatu Sacro Ecclesiastico, non minus consilio sapientissimo, quam euentu felicissimo fuit commissum, ex eo inde tempore, inquam, tot tamque illustria luculenti et potentis Patrocinii* TVI *documenta, et veluti pignora mihi, homini antea* TIBI *de nomine vix noto, dedisti, vt quiuis alius meae sortis homo, si aeque benigne clementerque secum actum esse cognouisset, vel hoc nomine felicem se beatumque esset existimaturus. Cum igitur nulla alia ratione gratum piumque animum, tantopere obstrictum,* TIBI *probare me posse crederem: hoc exiguo ingenii doctrinaeque publico monimento, condendo, quo meae in* TE *pietatis seruitutem liberalissimam, atque eam dulcissimam* TIBI *adstringerem, quodammodo id praestiturum me esse sum arbitratus. Quodsi cognouero, hanc Commentationem iudicio* TVO *politissimo non penitus displicuisse: vberrimum, dulcissimumque*

opel-

opellae, in hac Commentatione positae, fructum percepisse me putabo: acriori autem laetitiae humanissimae sensu tangar, si intellexero, hoc meum pietatis erga TE meae publice declarandae studium non ingratum TIBI fuisse. Serua mihi, enixissime rogo, serua mihi, PATRONE PIE VENERANDE, Generosissimum illum animum, TIBIque persuadeas, humanissime precor, vitam citius, quam suam erga TE obseruantiam, seu pietatem potius esse depositurum

ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO

Scr. Grimae
Prid. Calend. Ianuar.
CIↃIↃCCLXXXI

Deditissimum Addictissimumque Clientem
IOANNEM TOBIAM KREBSIVM

Instituti ratio redditur.

Ante hos duo annos cum in recensendis Commentationibus nostris, iterum formularum stanneārum ope exscribendis, et in vnum veluti corpus redactis, edendis versabamur: in omnium Dissertationum mearum prima, *de Ephetis Athenienſium Iudicibus*, ante hos XXXX annos scripta, et in Academia Lipsiensi publice habita et defensa, in exemplari nostro multa ab eo inde tempore cum e Sacro Codice, tum ex aliorum populorum monimentis obseruata, et margini allita deprehendebamus, quae ad hunc locum et amplificandum, et luculentius illustrandum facere viderentur. Quae cum tunc temporis illi Dissertationi suo quodque loco intertexere constituissemus: tamen, quoniam illorum Opusculorum redemptor nihil quidquam illis Commentationibus nostris addi cupiebat, veritus, ne haec Opuscula in

molem nimis magnam excreſcerent, atque adeo pretio cariore, quam pro plerorumque Iuuenum, harum literarum ſtudioſorum, quibus inprimis aliquid operae his Opuſculis nauare volebamus, venirent: iſtud conſilium noſtrum mutare, et in aliud tempus commodius differre coacti ſumus. A duobus igitur inde annis coepimus, quantum quidem per ſtatos labores noſtros ſcholaſticos, et alia negotiola fieri potuit, non ſolum illa loca obſeruata et adnotata diligentius curioſiusque excutere, ſed e Commentariolis etiam noſtris colligere, collectaque paullo attentius conſiderare, quae hunc locum attingere viderentur. Et ſane aduerſione dignum, nec cognitu iniucundum eſt, videre, Ebraeos, Graecos et Romanos, populos in tot aliis rebus, linguis, ſenſibus, moribus, inſtitutisque tam diuerſos et diſcrepantes, *in poena, homicidae non voluntario conſtituenda* tam amice inter ſe conſpiraſſe, vt deliberato, et veluti communicato conſilio id feciſſe videantur. Nam quod multi populi diuerſis locis et temporibus ſtatuerunt, id ad naturae principium, quod omnibus eſt commune et quaſi inſitum, eſt referendum. Equidem longe abſum, vt dubitem, hanc horum populorum communem humanitatis, aequitatisque pleniſſimam legem non tam ab hominum voluntate profectam, quam ipſius naturae auctoritate latam eſſe; quam aequitas ſuaſerit, conſenſus populorum confirmarit, et ipſius Dei auctoritas grauiſſima ſanctam inuiolabilemque eſſe iuſſerit; vt, ſi quis infelici fato ſuo imprudens aliquem quacunque ratione interfeciſſet, is non mortis ſupplicio eam culpam lueret, ſed leuiore poena, tanquam dicis cauſa, defungeretur. Non incommode huc transtuleris verba CICERONIS, quam-

quam

quam in re dissimili *Orat. pro Milone* c. 4. *Est haec non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed nati sumus:* nec non illam orationem *Collatini* apud LIVIVM I, 58. qua Lucretiam, vi a Sexto Tarquinio compressam, eoque nomine penitus deiectam erigere studet: *mentem peccare, non corpus: et vnde consilium abfuerit, culpam abesse.* Et sane, cum homicida non voluntarius, nisi ad omnem humanitatis sensum occalluerit, planeque obtusus factus fuerit, iam satis poenarum eo nomine dare soleat, quod conscientia angatur, se homini innocenti, nihilque tale merito, quamuis inuitum, mortem intulisse: inhumanum, barbarum, et immane adeo videatur, eum gravi aliqua, et mortis adeo poena affligi atque excruciari. Vbi enim magnae grauesque durioris poenae infligendae non adsunt causae, ad minuendam potius poenam prompti esse debemus, quae *clementiae* pars est. Scilicet ipsius naturae humanae vox docet, magnum esse faciendum discrimen inter ἀτύχημα, *infortunium*, et ἀδικίαν, *iniuriam* s. *malitiam*, de qua re diuinitus disputat ARISTOTELES *Ethic.* Lib. V. c. 10. Praeclare in hanc rem DIONYSIVS HALICARNASS. Lib. I. *Antiquitatt. Roman.* p. 47. edit. SYLBVRG. Ἅπαν συγγνώμης ἄξιον τὸ ἀκάσιον, *omne delictum, imprudenter commissum, veniam meretur.* Et DEMOSTHENES Orat. I. in *Aphob.* fere sub finem: Δικαιόν ἐστι ἐλεεῖν ἃ τὰς ἀδίκως τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ τὰς παρὰ λόγον δυστυχήντας, quae CICERO aliquo loco latine ita expressit: *MISERERI oportet, qui propter fortunam, non propter malitiam in iniuriis sunt.* Hanc igitur humani-

manitatis aequitatisque legem, quam a natura ipsa edocti erant veteres populi, qui quidem non penitus ab humanitatis cultu ad barbariei immanitatem defeciſſent, in Aſylis et aris ſupplicum conſtituendis, ſanctisque faciendis ſunt ſecuti; vt, qui miſerabili aliquo fato, non culpa ſua, miſeri facti eſſent, haberent, quo confugerent, et ab iis, a quibus immerito odio premi ſe infeſtarique ſenſiſſent, tuti et ſecuri eſſe poſſent. Quae ſecuritas et impunitas nunquam iis conceſſa eſt, qui malo animo aliis iniuriam intulerant. Bene in hanc rem GYLIPPVS Laco apud DIODOR. SICVLVM Lib. XIII. p. 157. edit. RHODOMANN. Οἱ ἀπ' ἀρχῆς τὰ περὶ τέτων νόμιμα διατάξαντες τοῖς μὲν δυσυχῆσι τὸν ἔλεον, τοῖς δὲ διὰ πονηρίαν ἀδικῆσι ἔταξαν τιμωρίαν. *Qui principio de his* (ſupplicibus) *conſtitutas tulerunt leges, CALAMITOSIS MISERICORDIAM, ſcelerate autem delinquentibus ſupplicium decreuerunt.* Itaque Deus ipſe, perfectiſſimum iuſtitiae, aequitatisque exemplum, variis legibus iis, qui imprudentes aliquem interfeciſſent, Aſyla patere, at qui malo animo, et deliberato conſilio manu violenta vitam alicui eripuiſſent, iis ne ſanctiſſimum quidem *Altare* patrocinari, perfugiumque praebere voluit. Et in hac re paullo fuſius, diligentiusque tractanda haec Commentatio verſabitur noſtra, quam in tres partes ita deſcribemus, vt *prima* doceat et exponat de *Ebraeorum* ſententia et ſenſu *in poena, homicidae non voluntario conſtituenda: altera*, quae *Graecorum* in hac re ſententia fuerit: *tertia* denique, quae apud *Romanos* in eadem re opinio et conſuetudo obtinuerit. His tribus diſputatis, teſtimoniorumque luculentorum auctoritate confirmatis, hanc Diſputationem putabimus confectam.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

De Ebraeorum sententia et sensu in poena homicidis non voluntariis constituenda.

Ingressuri igitur hanc Commentationem, quoniam omnis, quae instituitur, disputatio via et ratione procedere debet, rei tractandae conuenienter acturi videbimur, si relictis omnibus monuerimus, quo sensu Veteres nomen *homicidae* ceperint. IVL. PAVLVS Lib. V. *Sententiar.* C. XXIII, 2. eum ita definit: *Homicida est, qui aliquo genere teli hominem occidit, mortisque causam praestitit.* Cf. IAC. CVIACII Obseruatt. Lib. XV. c. 26. Iam primum Deus ipse hanc legem populo suo praescripsit, praescriptamque religiosissime sequendam variis locis grauissime iniunxit, aliorum autem populorum animis velut inscriptam humanitatis, aequitatisque gratia magnopere commendauit. Fundus huius rei est locus Deuter. XIX. 2. sqq. שָׁלוֹשׁ עָרִים תַּבְדִּיל לָךְ בְּתוֹךְ אַרְצְךָ. Quod LXX Seniores reddiderunt, τρεῖς πόλεις διαχελεῖς ἐν μέσῳ τῆς γῆς σου. Vox תַּבְדִּיל, vti et graeca διαχέλλειν hic non nude et simpliciter notat *separare*, sed notionem adiunctam habet hanc, vt sit, *separare ad peculiarem aliquem vsum.* IOSEPHVS *Antiquitt.* IV, VII, 4. vocem ebraicam eleganter reddit per ἀπέδειξε h. e. *in peculiarem vsum separauit, et constituit.* Quae vrbes hic, vti et Numeror. XXXV, 6. עָרִים simpliciter dicuntur, eae a IOSVA XX, 2. paullo plenius per עָרֵי הַמִּקְלָט *vrbes perfugii* exprimuntur, quas LXX Seniores πόλεις τῶν φυγαδευτηρίων vocant. Quis autem ille vsus fuerit, et quod consilium Deus in his vrbibus separandis secutus sit, mox v. 3.

declaratur, לָנוּס שָׁמָּה כָּל־רוֹצֵחַ, quod οἱ ὁ, καὶ ἔσαι ἐκεῖ καταφυγὴ παντὶ Φονευτῇ, *vt eo confugiat omnis, qui homicidium commiserit.* Igitur omni homicidae eiusmodi vrbs aliqua ara, et portus tutus securusque erat? Immo, non nisi ei, qui imprudens, inuitus, et nullo consilio malo, animoque infesto incitatus et abreptus aliquem occidisset. Quod docetur v. 4. vti et IOSVAE XX, 3. vbi est: Si quis alterum occiderit בִּבְלִי־דָעַת h. e. *imprudenter, fatali quodam casu suo.* LXX Seniores bene expresserunt, ἀκ εἰδὼς, καὶ ἀ μισῶν. Cf. Numeror. XXXV, 6. sqq. Loco parallelo apud IOSVAM XX, 3. בִּשְׁגָגָה *per errorem,* quod iidem Interpretes graeci per ἀκουσίως bene expresserunt. IOSVAE XX, 5. idem sic exprimitur: וְלֹא־שֹׂנֵא הוּא לוֹ מִתְּמוֹל שִׁלְשׁוֹם, quod verbo tenus LXX Seniores reddiderunt, ἀ μισῶν αὐτὸς αὐτὸν ἀπὸ ἐχθὲς καὶ τρίτην, h. e. de more loquendi ebraico, si eum *antea nunquam* odit. In dubitationem igitur nec potest, nec debet adduci, in eiusmodi aliquam vrbem Leuiticam perfugium non nisi ei concessum fuisse, qui homicidium *imprudens, inscius,* atque adeo *inuitus* commisisset. Quod consilium autem Deus in hac re ita constituenda habuerit, cum sacrae literae ipsae id dilucide nos doceant, non esse arbitramur, quod curiose inquirendum putemus. Nam Deuteron. XIX, 6. his verbis id indicatur: פֶּן־יִרְדֹּף גֹּאֵל הַדָּם אַחֲרֵי הָרֹצֵחַ, h. e. *ne vltor, iure cognationis, cuius veluti vinculo cum occiso coniunctus erat, homicidam insequatur, deprehensumque et correptum trucidet.* גֹּאֵל הַדָּם s. *vindex sanguinis* erat proximus agnatus, et haeres legitimus. Quodsi plures erant sanguine iuncti et haeredes: officii quidem erat omnium, vt de vindicta caedis laborarent,

rarent, non tamen omnium, vt homicidam persequerentur, quod vnius *Goelis* erat. Plura in hanc rem disputat IO. GOTTLOB CARPZOVIVS, *ὁ νῦν ἐν μακαρίοις*, in praestantissimo *Apparatu Historico Critico* ad GOODWINI *Mosen* et *Aaron.* II, 5. p. 341. LXX Seniores voces גֹּאֵל הַדָּם reddunt per *ἀγχιςεύων τȣ̃ αἵματος*. Bene! nisi quod ex Ebraismo addiderunt, *τȣ̃ αἵματος*, quod Graecus non addidisset, cum haec notio iam inclusa in *τῷ ἀγχιςεύων* lateat. Scilicet *ἀγχιςεύων* idem est, quod *ἀγχιςεύς*. HESYCHIVS, *Ἀγχιςεύς· συγγενής. Ἀγχιςεία· συγγένεια*, et *Ἀγχιςεύȣσα· ἐγγὺς ȣ̃σα πρός τι* (l. *πρὸς τὸ*) *γένος*. Vbi DAN. HEINSIVS: *τοῖς Ἑβδομήκοντα ἀγχιςεύων αἷμα* est *ὁ συγγενής*, qui in hanc rem plura. Vide, si tanti putes, quos ibi laudat ALBERTI V. C. Et quare sapientia, clementiaque Dei eiusmodi homicidam a cognato occisi persecutione infestari, premi, et trucidari noluit? Et huius rei causam v. 10. huius Cap. docemur: *Ne innocens sanguis in terra effundatur, et tu crimen sanguinis innocenter effusi concipias*, si scil. eiusmodi vrbibus segregandis non impedieris, quo minus sanguis innocens effunderetur. Certum igitur fixumque maneat hoc, Deum ipsum harum vrbium, h. e. Asylorum sanctorum auctorem fuisse, easque in commodum, securitatem, salutemque constituisse. Sed de tota hac re paullo pressius agendum videtur.

Et primo quidem animaduersione dignum est, sapientiam, prouidentiamque Dei in populo Israelitico mature securitati, impunitati, et saluti insontium homicidarum ita prospexisse, vt ne sanguis innocens effunderetur, piaculumque adeo, toti populo expiandum, committeretur. Nam, non

diu

diu post, quam populus Israeliticus, graui, duroque seruitutis Aegyptiacae iugo, ipsius potentia liberatus, in vasta illa solitudine, *desertum* vulgo vocant, versabatur, ita constituit, vt *Altare* in Tabernaculo, veluti *Asylum* quoddam, h. e. locus perfugii, et portus tutissimus esset. Verba in hanc rem disertissima sunt Exodi XXI, 13. digna, quae huc translata aliqua interpretatione collustrentur: אֲשֶׁר לֹא צָדָה וְהָאֱלֹהִים אִנָּה לְיָדוֹ וְשַׂמְתִּי לְךָ מָקוֹם אֲשֶׁר יָנוּס שָׁמָּה׃ Quod LXX Interpretes reddiderunt: Ἐὰν ἐκ ἐκὼν (sc. πατάξῃ τίνα) ἀλλ' ὁ Θεὸς παρέδωκεν εἰς χεῖρας αὐτῦ, δώσω σοι τόπον, ὃ φεύξεται ἐκεῖ ὁ φονεύσας. *Si quis non capto consilio, h. e. imprudens, aliquem interfecerit, sed Deus eum interficiendum tradiderit, designabo tibi locum, ad quem homicida confugiat.* Quis autem ille locus fuerit: non est, quod diu et anxie quaeratur, cum mox v. 14. diserte מִזְבֵּחַ, *Altare*, vocetur. Caeterum LXX Seniores hic non in omnibus ebraica satis fideliter expresserunt. Nam τὸ צָדָה reddiderunt per πατάσσειν, cum vox ebraica proprie denotet *venari*, *insidiari feris*, et per translatam significationem hic sit, *alicuius vitae insidias struere*, *interficere aliquem*, *insidiis antea structis*, quod v. 14. per זָדוֹן exprimitur, h. e. *destinata malitia*, *non casu aliquo fortuito*, *aliquid agere.* Felicior hic AQVILA in exprimendo τῷ צָדָה fuit, cum verba אֲשֶׁר לֹא צָדָה reddidit, καὶ ὃς ὐ μεθώδευσεί, *qui non fuerit insidiatus*, *qui non fraudulenter aliquem circumvenerit.* Glossae PHILOXENI: Μεθοδεύω. *Conuenio:* legendum, *Circumuen'o.* Vnde μεθοδεία est *quaeuis ars callida et fraudulenta*, *qua alterum insidiose decipere*, *et in perniciem detrudere studemus.* Quare PAVLLVS Ephes. VI. 11. Christianos

nos iubet cinctos, armaturaque spirituali munitos esse πρὸς τὰς μεθοδείας τῦ διαβόλυ, *contra callidas, fraudulentasque decipiendi artes Diaboli.* HESYCHIVS in Glossario suo, omnis literaturae graecae Prytaneo, T. II. p. 558. Μεθοδίας (siue potius μεθοδείας) exponit per τέχνας· h. e. *artes callidas, fraudes, insidias*, manifesto ad hunc locum Paullinum respiciens, vbi ALBERTI e Lex. Reg. Msto habet haec: Μεθοδίας, ἐπιβελὰς, ἐνέδρας, δόλυς· ὁ Ἀπόστολος· πρὸς τὰς μεθοδείας τῦ διαβόλυ. SVIDAS, Μεθοδεύει, τεχνάζεται, μετέρχεται, ἀπατᾷ. Μεθοδείας, τέχνας· ἢ δόλυς. Lectu digna etiam de hac voce habet L. BOS in *Obseruatt. Sacr.* ad h. l. Paullinum p. 191. Sed de voce אִפָּה adhuc aliquid dicendum est, quam οἱ ὁ per παρέδωκεν, *tradidit*, AQVILA autem et SYMMACHVS per ἀφῆκεν *demisit* reddiderunt, ita, vt totius loci sensus sit hic: *Si quis non animo malo, consilioque antea capto, atque adeo imprudens, atque inuitus aliquem interfecerit, sed Deo sic dirigente: is securitatis, impunitatisque causa* ad Altare, *veluti ad anchoram, portumque confugiat.* Vox ebraica אִפָּה proprie denotat, *facere, sic dirigere, vt alter alteri occurrat*, s. *in eum incidat.* Quodsi quis igitur propriam vocis ebraicae, vti et graecae παρέδωκε, significationem pressius vrgeat, et veluti ad viuum resecet: facile suspicari inde et cauillari adeo possit, eiusmodi homicidii causam et culpam non in homicida, sed in Deo ipso residere. Sed longissime a nobis absit, vt tale quidem de Deo vel cogitando suspicemur. Sacrosancta Religio nostra, et ipsa ratio, sacrarum literarum luce collustrata, aliter nos de Deo sentire, aliter interpretari docet. Scilicet vox אִפָּה non solum est, quod diximus, sed

notat etiam *conceſſit*, *permiſit*, et quidem, ſi de Deo dicitur, ſapientiſſimo, atque eo iuſtiſſimo conſilio. Neque dubium eſt, quin hanc vocis notionem animo ſuo informatam habuerint AQVILA et SYMMACHVS, cum ebraicam vocem per ἀφῆκε, *permiſit*, expreſſerunt: eam autem quamquam LXX Seniores paullo durius videntur expreſſiſſe: tamen de vſu loquendi S. S. amiciſſime in hac re cum duobus illis Interpretibus graecis conſpirant. Scilicet παραδιδόναι non ſolum de vulgari ſignificatu notat *tradere et veluti alteri aliquem in manus dedere:* ſed non raro etiam eſt, vbi nihil aliud notet, quam *concedere*, *permittere*. Illuſtriſſimum, et rei praeſenti accommodatiſſimum exemplum eſt ad *Roman.* I, 24. vbi dicitur: ΠΑΡΕΔΩΚΕΝ αὐτὲς (ἔθνη) Θεὸς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν εἰς ἀκαθαρσίαν, κ. τ. λ. Ergo Deus gentiles prauis, foedis, impurisque libidinibus *tradidit?* Immo vero *permiſit*, ipſos in eas delabi, earumque quaſi laqueis irretitos atque conſtrictos teneri. Quod quidem e loco parallelo *Actor.* XIV, 16. luculentiſſime patet, vbi pro παρέδωκε eſt ΕΙΑΣΕ, *permiſit*, quod ipſum quoque AQVILA et SYMMACHVS voce ἀφῆκε intellectum voluerunt. Quid igitur? Satisne luculenter probaſſe videmur, *homicidae non voluntario Altare* perfugium et veluti Aſylum, atque adeo ſecuritatem, impunitatemque praebuiſſe? Nobis quidem videmur, et ita quidem, vt ne PYRRHONI quidem de ea re dubitandi locus relictus eſſe videatur. Senſus autem v. 13. eſt: *Si homicida alteri non inſidiatus eſt, nec de induſtria et data opera illum occidit, ſed Dominus voluit illum incidere in manum eius ob occultam aliquam cauſam.* Quod fere fieri dicunt Ebraei, cum aliquis

aliquis peccatum aliquod graue, vel flagitium aliquod commiſit, ob quod a magiſtratu non punitus eſt, et tale tamen peccatum eſt כרת h. e. *quod excidium ſ. exterminium praematurae mortis* meretur. Cf. ad h. l. FAGIVS et VATABLVS. Sed *homicidae voluntarii*, qui capto ante conſilio, animoque nocendi alterius vitae inſidiatus erat, diſſimilis fuit ratio. Hic enim, vbi homicidio commiſſo ad *Altare*, tanquam ad tutum portum confugerat, de auctoritate diuina abſtrahi inde, inque ius rapi et poterat, et debebat. In quam rem diſerta ipſius Dei verba ſunt Exodi XXI, 14. וְכִי־יָזִד אִישׁ עַל־רֵעֵהוּ לְהָרְגוֹ בְעָרְמָה מֵעִם מִזְבְּחִי תִּקָּחֶנּוּ לָמוּת, quod ſeptuaginta Seniores reddiderunt: Ἐὰν δέ τις ἐπιθῆται τῷ πλησίον ἀποκτεῖναι αὐτὸν δόλῳ, καὶ καταφύγῃ, ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου μου λήψῃ αὐτὸν θανατῶσαι. Vox ebraica זיד, quae proprie *effervesſcere* denotat, et de aqua, vi ignis ebulliente, dicitur, h. l. eſt, *data opera, deſtinatoque conſilio agere*, quod bene LXX Seniores per ἐπιτίθεσθαι, h. e. *alicui inſidiari ad nocendum, quacunque ratione id fiat*, expreſſerunt. Nihil igitur ſecuritatis, praeſidiique praebuit *Altare homicidae voluntario*, ad quod etiamſi confugerat, tamen de auctoritate Dei detrahi inde et poterat, et debebat. Solis igitur *homicidis non voluntariis* Altare praeſtitit perfugium, ſecuritatem, atque impunitatem. Dignus eſt, qui de his *Aſylis* conſulatur ANDR. MASIVS, in primariis S. S. Interpretibus ponendus, ad IOSVAE XX, 6. Conf. in eandem rem DRVSIVS ad Deuteron. XIX, 9. Et *Altare* quidem locus perfugii et Aſylum *inſontibus homicidis* tam diu erat, quam diu populus Iſraeliticus in vaſta illa ſolitudine ſ. *deſerto* errabat. Poſtea autem conſtitutae ſunt *vrbes perfugii*,

seu *Asyla* VI. tria *trans*, et totidem *cis* Iordanem. Quae huc vsque pro instituti nostri ratione diximus, ea omnia, veluti ad capita reuocata, redeunt huc. I) *Homicidis insontibus* securitatis, impunitatisque causa constituta fuisse *Asyla*, quorum primum fuerit *Altare* in *deserto:* postea VI. vrbes, Ebraeis עָרֵי מִקְלָט, *vrbes perfugii*, LXX Senioribus nunc πόλεις Φυγαδευτηρίων, nunc Φυγαδεῖα, nunc πόλεις καταφυγῆς dictas, ad quas insontes homicidae confugere supplices solebant, eo consilio, vt, interfecti cognati vltori, vlciscendique cupiditati exardescenti erepti, saluti vitaeque prospicerent suae. II) Harum vrbium, quarum nomina eduntur IOSVAE XX, 7. 8. ius securitatis, impunitatisque praestantium fuisse sex, tres *trans*, tres *cis* Iordanem. Hic vero illud monere attinet, Deum has VI. vrbes, haec *Asyla*, non extra terram Israeliticam, sed בְּתוֹךְ *in ipsa terra Israelitica* constituisse, idque duplici, atque sapientissimo consilio, quorum *alterum* fuit hoc, ne *homicida insons*, fuga extra patriae fines suscepta, eo facilius vltoris iracundiae excandescenti exponeretur: *alterum* ne falsae religionis, superstitionisque sordibus, et veluti pestifera contagione inficeretur, si a veri Dei cultu nimis longe remotus inter Idololatras aliquamdiu vitam degere coactus fuisset. Sapientissime igitur Deus homicidarum insontium saluti, hoc etiam prospexit, vt iis *Leuitarum vrbes* Asyla paterent, a quibus veri Dei cultum, legesque diuinas cognoscere, et ab vltoris ira securi, tutique ibi viuere poterant. Quare autem *homicidas non voluntarios* ad aliquam vrbem Leuiticam fugere oportuerit: eius rei causas inquirit PHILO de *Profugis* T. I. p. 559. sq. edit. MANGAEI. Neque vero illud silentio hic trans-

transmittendum est, Deum, quo melius horum homicidarum fugae, securitatique consuleret, non solum constituisse in hanc rem oppida, in montibus sita, vt e longinquo conspectui exposita essent, sed viam etiam eo ducentem, ita sterni, et instrui iussisse, vt nihil remorae, nihil impedimenti eo confugientibus obiiceretur. Qui sensus verborum est Deuteron. XIX, 3. תָּכִין לְךָ הַדָּרֶךְ *praeparabis* fugienti *viam*. Quod οἱ ὁ· Στόχασαί σοι τὴν ὁδόν. Quid? quod GOODWINVS (in *Mose* et *Aaron*. Lib. II. c. 4.) e Magistris Iudaicis docet, singulis annis decima quinta mensis *Adar*, nostro FEBRVARIO respondentis, a Magistratu fuisse emissos, qui has vias repararent. Illud denique subiungendum est, insontem homicidam, vbi fuga citatis passibus ad eiusmodi vrbem praesidiariam delatus esset, obstrictum fuisse, ante portam stare, et Senioribus ab homicidii crimine sese purgare, atque adeo causas afferre, quare omni venia dignus huius vrbis iure et beneficio frui se posse censeret: innocentem a Senioribus, et a toto populi Israelitici coetu (Numeror. XXXV, 24. sq.) cognitum et declaratum, fixam, securamque sedem in ea vrbe habuisse, vsque dum Pontifex M. esset mortuus. Locus classicus in hanc rem est apud IOSVAM XX, 4. sq. vbi consulendi Interpretes. Plura in hanc rem cognoscere cupientis sitim restinguet CARPZOVIVS in *Apparatu Histor. Critic. Antiquitatt. S. C.* ad GOODWINI *Mosen* et *Aaron*. Lib. II. c. 5 Nostri enim instituti ratio non fert, fusius in hanc rem disputare. Hic vero non ineptum fuerit, addere haec duo: I) *Homicidae non voluntario* non licuisse ex ea vrbe, in quam, veluti in portum tutum, sese recepisset, excedere. Nam si exinde excessisset:

sisset: poterat ab vltore cognati occisi, extra illius vrbis terminos deprehensus, omni tum impunitatis spe proposita, occidi, vt ex Numeror. XXXV, 27. patet. Non poeniteat huc transferre locum IOSEPHI Lib. IV. *Antiquitatt.* c. 7. §. 4. Μωυσῆς τρεῖς πόλεις ἀπέδειξε τοῖς ἐπ' ἀκουσίῳ φόνῳ φευξομένοις, καὶ χρόνον ἔταξεν εἶναι τῆς φυγῆς τὸν αὐτὸν τῷ Ἀρχιερεῖ, ἐφ' ᾧ δράσας τὶς τὸν φόνον ἔφυγε· μεθ' ὃν συνεχώρει τελευτήσαντα κάθοδον, ἐχόντων ἐξουσίαν τῶν τὸ πεφονευμένου συγγενῶν κτείνειν, εἰ λάβοιεν ἔξω τῶν ὅρων τῆς πόλεως εἰς ἣν ἔφυγε, τὸν πεφονευκότα· ἑτέρῳ δὲ ἐπεπέτραπτο. *Moses tres vrbes, veluti Asyla, separauit, quo percussores, qui hominem per imprudentiam occidissent, confugerent: statuitque exsilii tempus vita pontificis, sub quo profugisset homicidii reus, definiendum: cuius post obitum domum reuerti permisit, cognatis occisi* durante exsilio *potestatem habentibus, homicidam IMPVNE interficiendi, si eum, EXTRA VRBIS FINES EGRESSVM deprehenderent: alias vero nemini* eum interficere *licebat.* Cf. ad h. l. EDVARD. BERNARDVS. II) Huiusmodi homicidae in illa vrbe commorandum fuisse vsque ad Pontificis M. mortem. Neque vero etiamnum hunc locum relinquere possumus, quin nobilem illam quaestionem vel tribus verbis disceptauerimus, *quid causae fuerit, quod homicidam non voluntarium in eiusmodi aliqua vrbe vsque ad mortem Pontificis Max. commorari oportuerit?* Et Iudaeorum quidem Magistri suo more in huius rei ratione reddenda plane mirifici sunt. Quid? quod PHILO de *Profugis* T. I. p. 561. ingenue fatetur, horum verborum *sensum literalem multum negotii sibi facessere,* πολλὴν ἐν τῷ ῥητῷ μοι παρέσχεσα ἀχολίαν, ratione addita hac:

quod

quod in eadem culpa dispar poena lege statueretur, cum aliis longius, aliis breuius exilium fieret. Quid igitur? vt ab isto negotio se liberet, confugit ad *Amasiam* suam, h. e. allegorizandi rationem misere contortam. Interpretes autem S. S. christiani in varias, atque eas discrepantes sententias distrahuntur, quas cognoscere cui vacat, et volupe est, is inueniet cum apud alios, tum apud FAGIVM ad Numeror. XXXV, 15. Omnium optima huius rei ratio haud dubie reddi et potest, et debet haec, vt dicatur, primariam huius rei causam fuisse typicum ad Magni Pontificis nostri, Iesu Christi, mortem respectum, qua peccata nostra expiarit, libertatem nobis perpererit, et in bona, peccatis nostris amissa, restituerit atque reduxerit, quae sententia b. CARPZOVII est in *Apparatu* laudato l. c. diu iam ante prolata a FAGIO ad Numeror. XXXV, 15. Sed satis de his.

SECTIO SECVNDA.

De Graecorum sententia et sensu in poena homicidis non voluntariis constituenda.

Deinceps dicere propositum erat de sensu et animi aequitate erga homicidas, quibus hoc loco vtimur, apud Graecos. Qui in eorum monimentis cognoscendis versati sunt, ii multa huius aequitatis lenitatisque exempla deprehenderint, necesse est. Omnium fere antiquissimum huius rei exemplum est illud *Adrasti*, Phrygis, regio genere orti. Qui cum fratrem imprudens, inuitusque occidisset, eoque nomine ab irato patre expulsus hinc inde erraret, fugaque saluti suae con-

consulturus ad *Croesum* confugisset: ingenua culpae suae, temere contractae, confessione facta, ab hoc Rege his verbis, ab humanitatis sensu profectis, exceptus est: *Ego te, Adraste, ineluctabili quodam fato* (seu, vt CICERO dicit, *vi quadam diuina*) *in calamitatem coniectum, quam tibi non exprobo, expiaui, et receptum domi habeo, omnem tibi suppeditans victum et sumptum.* Quae igitur poena huius homicidii imprudentis Adrasto imponebatur? Nempe haec, vt, regia domo patris sui eiectus, et profugus a Croeso benigne et clementer exceptus superstitiosisque Lydorum caerimoniis *lustratus* insons caedis commissae declararetur: de quo lustrandi fortuitae caedis reos Lydorum more, a ritu Graecorum in hac re non multum abhorrente, vid. EVRIPIDIS *Oreſt.* v. 511. *Iphigen. in Tauris*, et Scholia minora ad HOMERI Ἰλιαδ. ω. 480. Quid? quod cum idem *Adrastus*, aliquamdiu in regia Croesi domo versatus filium huius Regis vnicum (alterum enim, auribus captum, pro nullo ducebat,) in venatu telo quodam imprudens occidisset, et stans ante interfecti cadauer Croeso sese tradidisset, manus protendens, rogansque, vt se super cadauer mactaret, manibusque filii occisi ea re parentaret: Croesus, quamuis graui calamitate domestica afflictus, tantum abfuit, vt iracundiae aestu abreptus huic caedi fortuito commissae vllam poenam irrogaret, vt potius huius miserabilis hominis calamitatem, diuinitus immissam, miseratus eum verbis, a misericordiae sensu expressis, ita alloqueretur: *Habeo abs te, Hospes, omnem vindictam, quoniam te ipse morte condemnas. Neque enim tu huius cladis mihi auctor es, nisi quatenus id feceris* imprudens: *sed Deorum aliquis, qui iam pridem*

pridem mihi euentura significauit. Aeque magnificus in hac re sensus fuit illius Nicolai, Syracusani, apud DIODOR. SICVLVM Lib. XIII, p. 154. vbi ita: Ὁ τὸν πρὸς τὸ κρατῆντος εὐγνωμοσύνην προσφεύγοντα τιμωρέμενος, ἐπέτι τὸν ἐχθρὸν κολάζει, πολὺ δὲ μᾶλλον ἀδικεῖ τὴν ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν. *Qui ad benignam potentioris fidem, tanquam ad Asylum, confugientem vlciscitur, is non amplius hostem punit, sed humanae potius imbecillitati per iniuriam insultat.* Caeterum, tota historia de *Adrasto* non minus venuste, quam fuse traditur ab HERODOTO Lib. I. c. 35-46. p. 17. sqq. edit. WESSELINGII, quam ἐξῆσιν latine expressam, et in angustum coarctatam pro instituti nostri ratione huc transferre visum est. Plura desideraturus hauriat ex fonte ipso. Simile huius rei exemplum est apud PAVSANIAM in *Eliac.* c. I. p. 376. edit. KVHNII. Inprimis dignus est, qui hac de re consulatur DESIDER. HERALDVS in opere praestantissimo, sed in his terris paullo rariore, quod inscribitur, OBSERVATIONES *ad Ius Atticum et Romanum contra* CL. SALMASIVM, Lib. V. c. 6. *de casibus fortuitis* p. 351. sqq.

Inprimis vero apud Athenienses, a quibus, auctore CICERONE *Orat. pro Flacco* c. 26. vti doctrina, religio, iura, leges, ita et *humanitas* orta, et in omnes terras distributa putabatur, apud eos, igitur, peculiaribus iudicibus, caedi, praeter voluntatem commissae, diiudicandae constitutis, saluti, impunitatique homicidarum non voluntariorum erat consultum. Hi Iudices *Ephetarum* nomine insigniebantur, de quibus etsi ante XXXX annos peculiari aliqua Dissertatione, in Academia Lipsiensi publice defensa, exposuimus: tamen

haec

haec res, quoniam ad praesentem locum nostrum facit, et cum iis, quae Sect. I. disputauimus, necessaria quadam cognatione, et veluti colligatione continetur, etiam hic videtur strictim tangenda, et hinc inde paucis illustranda. De ipsius vocis *Ephetarum* originatione ipsi veteres Grammatici graeci adeo parum inter se conspirant, vt potius in diuersas, atque eas contrarias sententias abeant, quas qui cognoscere velit, et tanti putet, in dicta Dissert. congestas poterit videre. Nobis quidem, ibi ostendimus, eam sententiam prae caeteris veritatis specie sese commendare, quae nomen *Ephetarum* a τῷ ἐφιέναι h. e. a *prouocando* deducat. Sic SVIDAS in v. Ἐφιέναι, diserte tradit, hoc verbum denotare *ad alium iudicem prouocare.* Et idem in v. Ἔφεσις. Ἔφεσις ἡ ἐξ ἑτέρᾳ δικαστηρίᾳ εἰς ἕτερον μεταγωγή· τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ἔκκλητος καλεῖται, τὸ δὲ ἔφεσις ἀπὸ τῆ Ἐφεῖναι καλεῖται. *Translatio causae ab vno iudicio ad aliud. Prouocatio ad aliud iudicium. Idem etiam* ἔκκλητος *vocatur.* Ἔφεσις *vero deductum a verbo* Ἐφεῖναι. Et plane sic HARPOCRATIO, e cuius fonte SVIDAS riuos suos deriuauit, vt iam KVSTERVS ad h. l. monuit. Hunc τῆ ἐφιέναι et ἔφεσις significatum confirmat vsus loquendi. Apud PLVTARCHVM in *Solone* p. 160. edit. STEPHAN. est ἐφέσεις δὲ δίναι τοῖς βουλομένοις, *ius prouocandi concedere iis, qui cupiunt.* LVCIANVS in *Imagg.* T. II. p. 493. edit. REIZII. Δώσετέ μοι ἐφέσιμόν τινα γενέσθαι τὴν δικην; *Num prouocandi facultatem mihi facietis?* Et apud eundem in *Bis Accusato* p. 806. ἢν δέ τις ἄδικα δεδικάσθαι οἴηται, ἐφέσιμον ἀγωνιεῖται τὴν δικην· ἡ δὲ ἜΦΕΣΙΣ ἐπὶ τὸν Δία. *Si quis iniuste in causa sua iudicatum se esse putet: prouocatione certato. Est autem*

autem ad Iouem Prouocatio. Sed inprimis ad rem praesentem facit DIONYSIVS HALICARN. Lib. VI. p. 385. ΄ΕΦΕΣΙΝ τοῖς βϐλομένοις ΄ΕΔΙΔΟΥ μεταΦέρειν τὰς κρίσεις ἀπὸ τῶν πατρικίων ἐπὶ τὸν δῆμον· *potestatem prouocandi a patriciis ad populum volentibus fecit.* Cl. TOVPII *Opusc. Critic.* p. 264. edit. LIPS. Sit igitur extra omnem dubitationem, controversiamque positum, his Iudicibus *Ephetarum* nomen a *prouocando* fuisse tributum. Et quare? quoniam, qui *caedis fortuitae et inuitae* postulati essent, ii a *Rege*, h. e. secundo inter IX *Archontes*, ad *Ephetas* prouocare possent. Quemadmodum autem haec *Ephetarum* denominatio linguae rationi; ita et institutis Athenienſium optime conuenit. Scilicet tenendum est, morem apud eos obtinuisse hunc, vt, qui apud *Regem* dixissent causam, ab eo ad *Ephetas* prouocatione certare possent. Cuius consuetudinis auctorem edit *Draconem* POLLVX, qui in Onomastico suo Lib. VIII. c. 10. Segm. 125. de hac re ita: Δοκεῖσιν ὠνομάσθαι (΄Εφέται) ὅτι πρότερον τῆ Βασιλέως τὰς ἐπ' ΄ΑΚΟΥΣΙΩ, Φόνῳ κρινομένας ἐξετάζοντος, ὁ Δράκων παρέδωκε τοῖς ΄Εφέταις τὴν κρίσιν ἐΦέσιμον ἀπὸ τῆ Βασιλέως πεποιηκώς. Quae vltima verba non notant, vt Interpres voluit, *Draco iudicium Ephetis permisit ἐΦέσιμον, id est, translatitium id a Senatu faciens*, cum nunquam Senatus de caedibus, praeter voluntatem commissis, sed *Rex* cognouerit: qui cum antea de eiusmodi caedibus quaestionem exercuisset: *Draco ius ab eo prouocandi ad Ephetas reis concessit.* Haec est mens, haec sententia POLLVCIS. Horum Iudicum, *Ephetas* puta, consessus numero *quinquaginta et vnius* virorum, aetate grauium,

et magna auctoritate atque dignitate conſpicuorum erat definitus. Grauiſſimus huius rei teſtis eſt DEMOSTHENES in Lege quadam, laudata in Orat. adv. *Macartatum* p. 666. edit. WOLFII, his verbis: Γνῶσι δ' οἱ πεντήκοντα καὶ εἷς, *Iudices cognoſcant quinquaginta et vnus.* Dubium enim non eſt, quin PETITVS, felici quadam coniectura ductus, pro inepto illo ὄισωσιν eleganter γνῶσι δ' οἱ emendarit. Nam ſic verſu interiecto πεντήκοντα καὶ εἷς occurrit. Hi *Ephetae* autem etſi interdum etiam ſederunt Iudices inter *voluntariae caedis* reos: tamen plerumque, et tantum non ſemper cognouerunt et quaeſiuerunt de *caedibus*, *fortuito*, *et praeter voluntatem commiſſis.* HESYCHIVS in v. ἐπὶ Παλλαδίῳ. Δικαστήριον Ἀθήνησιν, ἔνθα ἐδίκαζον οἱ Ἐφέται τοῖς ΑΚΟΥΣΙΩΝ Φόνων δικαζομένοις. *Erat locus iudicii, vbi Ephetae cognoſcebant de FORTVITAE caedis reis.* Confirmat EVSTATHIVS ad Ὀδυσσ. Α. p. 1419. edit. *Roman.* Οἱ δὲ δικαστήριον ἱστοροῦσιν Ἀθήνησιν ἐπώνυμον τῆς Παλλάδος· Ἀριστοφάνης· ἄνων κτενῶ σε τέκνον· ὁ δὲ ὑπεκρίνετο, ἐπὶ Παλλαδίῳ, παρ' ᾧ πάτερ δώσεις δίκην· ἐδίκαζον δὲ κατὰ Παυσανίαν ἐκεῖ ΑΚΟΥΣΙΟΥΣ Φόνους οἱ Ἐφέται. HELLADIVS in *Chreſtomathia* p. 23. edit. MEVRSII: Ἀρεοπαγῖται μὲν ἐκαλοῦντο οἱ τὸν ΕΚΟΥΣΙΟΝ Φόνον κρίνοντες· οἱ δὲ ἐν τοῖς ἄλλοις δικαστηρίοις (Δελφινίῳ, Παλλαδίῳ) κοινῶς Ἐφέται. Quae verba vltima vt recte capiantur: tenendum eſt, *Ephetas* non ſemper in vno aliquo loco, ſed nunc in *Delphinio*, nunc in *Palladio*, nunc in *Prytaneo*, nunc in *Phreatto*, quaeſtiones de *caedibus*, *praeter voluntatem commiſſis*, exercuiſſe. In qua quidem re mos obtinuit hic. Scilicet, qui *homicidii non voluntarii* reus erat, is non lubidini propinquorum occiſi,

occisi, non exardescenti vlciscendi cupiditati concedebatur, sed aequitati legum, cognitionique Iudicum erat committendus. Propinqui igitur occisi, si et manibus interfecti, et suo dolori satisfacere vellent, nisi a Magistratu, h. e. secundo inter IX Archontes, *Rege*, reum in ius vocandi, et actione persequendi potestatem nacti essent, id nullo modo facere poterant. Quodsi Magistratui commodum videretur, delatum rei nomen accipere, et in iudicium, in quod liceret, rem, actoremque introducere: dicebatur εἰσάγειν s. εἰσφέρειν δίκην. Vid. VLPIANVS in *Midianam* p. 151. edit. WOLFII. Archontibus autem, et inprimis secundo inter eos, *Regi*, ea prouincia erat commissa in causa praecipue *caedis fortuitae* cognoscenda. Cum igitur causa a *Rege* in iudicium esset adducta, cognitionique Iudicum permissa: omnium primum exigebatur iusiurandum, quod quoniam et a reo, et ab actore praestandum erat, διωμοσία s. ἀμφιορκία dicebatur. Et iurisiurandi quidem, ab accusatore praestandi, formula erat haec: ἦ μὴν ἀληθῆ κατηγορεῖν. Hanc accusatoris πρωμοσίαν sequebatur accusati ἀντιμοσία, quae vt POLLVX Lib. VIII. Segm. 53. docet, erat ὅρκος, ὃν κατηγορούμενος ἀντωμνύει, cuius formula erat haec: ἦ μὴν μὴ ἀδικεῖν. Praestito et ab *actore*, et a *reo* iureiurando, res venit cum ad *accusationem*, tum ad *defensionem*, quae alternis instituebantur. Hic vero Athenienſium mos in hac re tenendus est, quo si argumentorum, rationumque pondera vtrinque essent grauia, id causam *accusati* magis, quam *accusatoris* iuuabat, quod ex ANTIPHONTIS Orat. XIV. p. 113. edit. MINIATI luculentissime patet. Omnino hic admonere attinet, Athenienſium leges, de *homicidis non voluntariis* scri-

ptas,

ptas, fuisse humanitatis lenitatisque plenissimas. DEMOSTHENES in MIDIANA p. 391. οἱ νόμοι Φονικοὶ τὰς μὲν ἐκ προνοίας· ἀποκτιννύντας θανάτῳ, ἢ ἀειφυγίᾳ, καὶ δημεύσει τῶν ὑπαρχόντων ζημιοῦσι· τὰς δὲ ἀκουσίως ΑΝΕΣΕΩΣ καὶ ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΙΑΣ πολλῆς ἠξίωσαν. *Leges facinorum capitalium, caedes consilio factas, morte, exsilio perpetuo, et publicatione bonorum puniunt: qui autem fortuito caedem commiserunt, cum iis magna cum LENITATE et HVMANITATE agendum sanxerunt.* Neque vero illud Athenienſium inſtitutum, humanitatis aequitatisque pleniſſimum, hic adnotare omittendum eſt, quo *reus*, ſi, prima oratione in obiecto crimine diluendo conſumpta, cauſae ſuae minus ſe confidere poſſe intelligeret: e patria ita excedere poterat, vt neque accuſatoris cupido, neque iudicum auctoritas, neque vlla vllius vis retinere abeuntem, neque in fuga deprehenſum retrahere poſſet. Diſerta in hanc rem verba DEMOSTHENIS ſunt in *Orat. adu. Ariſtocrat.* p. 438. Ἂν δ' ἀλλῷ καὶ δοκῇ τὸ ἔργον εἰργάσθαι, ἐφ' ὁ διώκων τὸ δεδρακόντος κύριος, ἔτ ἄλλος ἐδεὶς, πλὴν ὁ νόμος κ. τ. λ. Cf. in hanc rem POLLVX Lib. VIII. Segm. 117. Rei autem, qui cauſae ſuae ſatis confidere poſſe, ab iisque defenſionis opibus praeſidiisque firmis inſtructos ſe eſſe putabant, vt accuſatoris impetum ſuſtinere, facileque depellere ſe poſſe crederent, ii orationem ſuam iterum ad debilitandum in ſe coniectum crimen, planeque convincendum conuertebant, Iudicumque ſententias ſecuri expectabant. Partibus igitur dicendi et ab *actore*, et a *reo* actis: *Ephetae*, penes quem huius certaminis victoria eſſet, ſiue ſententiis, ſiue calculis adhibitis, pronunciabant. Nam in tanto Veterum

rum de hac re silentio nihil certi definiri, constituique potest. Illud autem apud Athenienses humanitatis, aequitatisque plenissimum institutum erat, quo, si *fortuitae caedis* reus siue sententiis, siue calculis, de *Ephetarum* iudicio, causa sua cecidisset, non capite plecteretur, sed tantum extra patriam per vnius anni spatium commorari cogeretur. Hunc morem, humanitatis plenissimum, eo nomine POLYBIO etiam T. II. c. 12. p. 21. edit. ERNESTI, valde laudatum, quo *reo* ante iudicii diem vrbe excedere, vitamque alibi transigere liceret, apud Romanos etiam obtinuisse, e laudato POLYBII loco cognosci potest. In quo si vel vnum aliquem cognatorum occisi placasset: spem omnis impunitatis nactus secure sine omni periculi metu in patriam redire poterat. Quodsi ita accideret, vt nulli omnino adessent, qui aut necessitatis, aut cognationis aliquo vinculo cum occiso essent coniuncti, quibus homicidam *non voluntarium*, redire in patriam cupientem, satisfacere oporteret: decem, si vellent, Viri ex eadem Decuria, cui occisus adscriptus fuerat, huius rei cognitionem habebant, et, si *Ephetae* antea pronunciauerant, hunc homicidam hoc crimen *fortuito* commisisse, ei hi decem *Phratores* redeundi in patriam facultatem concedere poterant, sed ita, vt *Ephetae* ipsi ea de re vna deliberarent atque decernerent. Palmarius in hanc rem locus est DEMOSTHENIS *Orat. adu. Macartat.* p. 666. Ἐὰν ἀιδέσεσθαι δέῃ, ἐὰν μὲν πατὴρ ᾖ, ἢ ἀδελφὸς, ἢ υἱεῖς πάντας, ἢ τὸν κολύοντα κρατεῖν. Ἐὰν δὲ τούτων μηδεὶς ᾖ, κτείνῃ ἄκων, γνῶσι δ' οἱ πεντήκοντα καὶ εἷς (ita feliciter lectionem ineptam καὶ εἴσωσιν emendauit PETITVS ad Legg. Attic. p. 522. edit. WESSELINGII) οἱ Ἐφέται ἄκοντα κτεῖναι· ἐσέσθων

ἐσέσθων οἱ Φράτορες, ἐὰν θέλωσι, δέκα· τέτες δὲ οἱ πεντήκοντα καὶ εἷς ἀριςίνδην αἱρεῖσθων. Quorum verborum, vt alibi docuimus, sensus est hic: *si homicidam* non voluntarium *satisfacere oportet patri, si superst, aut fratri, aut filiis* (et hi satisfieri sibi passi sunt:) *omnium potius, qui placati sunt, quam vnius, qui reditum in patriam intercludere conatur, valeat auctoritas.* Et hac ratione reditus in patriam, eiusmodi homicidae per vnius anni spatium intercluſus, ita rescindebatur, si vnum e cognatis occisi placauisset, quod diserte docet quaedam lex, DEMOSTHENI in Orat. *adu. Aristocrat.* p. 438. laudata. Confirmat luculenter ad *Midian.* VLPIANVS p. 161. Εἰ δεθηείη TINOΣ τῶν συγγενῶν τῶν τῦ ἀνῃρημένυ, εἶτα ἐκεῖνος ἐπιτρέπῃ; καταλύεταί ὁ Φόνον ἀκάσιον δράσας. *Si homicida imprudens aliquem cognatorum occisi placarit, isque concesserit: huiusmodi criminis reus absolutus dimittitur.* Ex iis, quae hucusque disputauimus, satis luculenter, opinor, intelligitur, quam humane, clementer et leniter Graeci, et inprimis Athenienses cum iis, qui infelici quodam fato suo, et propemodum vi quadam diuina imprudentes aliquem occidissent, agendum putarint.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

De Romanorum ſententia et ſenſu in poena homicidis non voluntariis conſtituenda.

Reſtat, vt, quemadmodum facturos nos eſſe ſupra oſtendimus, de ſenſu, animique aequitate, qua Romani erga fortuitae et temerariae caedis reos affecti fuerint, doceamus. Antiquiſſima huius humani ſenſus Romanorum erga huiusmodi homicidas veſtigia veluti impreſſa deprehendimus in lege quadam *Numae*, quam nobis diligentia SERVII, Enarratoris Virgiliani, ad haec VIRGILII Ecl. IV. 43. verba: *Ipſe ſed in pratis aries iam ſuaue rubenti Murice* etc. ſeruauit, cum ſcribit: *Sane in Numae legibus cautum eſt, vt ſi quis IMPRVDENS occidiſſet hominem, pro capite occiſi et pro natis eius offerret arietem. Ergo bene videtur arieti dignitatem dare*: dicendo ipſe: *qui oblatus homicidam HOMICIDII CRIMINE poſſit EXSOLVERE.* Leuis vero poena homicidae IMPRVDENTI a *Numa* conſtituta! Iam, quis dubitet, quin in Legg. XII. Tabularum, ſi integrae ad nos, illaeſaeque perueniſſent, multa huius humani ſenſus Romanorum veſtigia eſſemus deprehenſuri. Nam nemo facile negare poſſit, Romanos e Graecorum legibus ſapientiſſimis, inſtitutisque ſaluberrimis, in Legg. XII. Tabularum poſtea translatis, edoctos, vti in multis aliis, ita et in poena, homicidae *imprudenti* conſtituenda, humanitatis, aequitatisque ſenſum concepiſſe, conceptumque magis, magisque aluiſſe et confirmaſſe. Scilicet, vt hoc in tironum gratiam addamus, vel e LIVIO Lib. III. c. 31. conſtat, V. C. Anno CCC. e SCto, cui Plebiſcitum ac-

ceſſerit,

ceſſerit, tres legatos in omnem Graeciam miſſos eſſe, iuſſos, inclitas Solonis leges deſcribere, et aliarum Graeciae ciuitatum inſtituta, moresque cognoſcere: reuerſis autem cum iuris Graeciae copiis his legatis, V. C. Anno CCCII. creatos fuiſſe Decemuiros *Legibus ſcribendis*, omnes e patribus, ſummo et infinito imperio praeditos, prouocatione, Tribunis pl. caeterisque magiſtratibus ſublatis, qui, HERMODORI Epheſini, tunc exſulis, qui non tam, vt vulgo putant, graeca verba interpretabatur, quippe quae Decemuiri ipſi intelligebant, quam ſententiam et rationes legum explicabat, qua ille, princeps quippe ciuitatis Graeciae, optime tenebat, huius, igitur, HERMODORI ope, et e Legibus Graeciae, et e moribus patriis Leges nouas patriae ſuae ſcriberent, quibus, primo in X Tabulas relatis et promulgatis, mox duae aliae Legum Tabulae acceſſerunt, vt e LIVIO Lib. III. c. 32. ſqq. patet. Hiſtoriam harum Legg. XII Tabularum plenius cognituro ſatisfaciet Phoenix ille Ictorum literatorum, IACOB. GODOFREDVS in IV. *Fontibus Iuris Ciuilis* Lib. II. vbi etiam de hoc HERMODORO. Verum autem eſſe, quod paullo ante dicebamus, vti Graeci hunc humanitatis aequitatisque ſenſum ex Ebraeorum fontibus inſtitutisque hauſerint, ita Romanos eundem a Graecis, veluti per manus traditum, accepiſſe, e collatione variarum legum horum populorum non obſcure colligi poteſt. Quid? quod olim multos Patres Eccleſiaſticos huius ſententiae eſſe non poenituit, vt contenderent nonnulla iura Romana e libris diuinis fuiſſe hauſta. Illuſtris in hanc rem TERTVLLIANI locus eſt in *Apologetico* c. 45. p. 375. edit. HAVERCAMP. *Dum tamen ſciatis, leges veſtras, quae videntur*

dentur ad innocentiam pergere de DIVINA LEGE, *vel antiquiore forma mutuatus.* Cf. CANNEGIETERVS in Commentario ad *Fragmentt. Veteris Iurisprudentiae* p. 5. vbi tamen locus, ex ARRIANO in *Epict.* Lib. VI. c. 3. laudatus, est ἀπροσδιόνυσος. Sed veniamus ad Legg. XII Tabul. in quarum Fragmentis, quae veluti tabulae quaedam e naufragio ereptae superstites ad nos peruenerunt, etsi nihil diserte inueniatur, quod ad rem nostram praesentem faciat: tamen tale quid in integro adhuc nec discerpto earum corpore, *qui* auctore LIVIO Lib. III. c. 34. *fons omnis publici, priuatique iuris fuit*, olim extitisse, e quodam CICERONIS loco non vane colligi potest. E lege diuina, aequitatis pleniſſima, Deuteron. XIX, 5. *Ei, cui telum manu effugisset, quo alterum imprudens interfecerat, Asylum patebat.* Sed ecce! idem illud apud CICERONEM in *Topic.* c. 17. est. *Quae fortuna* fiunt, *vel ignorata, vel voluntaria* sunt. *Nam IACERE telum, voluntatis est: FERIRE, quem nolueris, fortunae. Ex quo aries ille* (h. e. argumenta) *subiicitur in vestris actionibus, SITELVM manu FVGIT magis, quam IECIT.* GROTIVS de Iure B. et P. Lib. II. c. 21. scribit: *In sapientissima lege* (Deuteron. XIX. 1, XXIII, 15.) *quibus telum manu fugisset, quo interfectus esset homo, Asyla patebant.* Ad quae verba IO. FREDER. GRONOVIVS, emunctae naris Criticus, non temere suspicatur, ad Legg. XII Tabul. GROTIVM respexisse. Ita enim in nota subiecta ille Vir doctissimus: „*Loquitur* GROTIVS *de Hebraea* lege, *sed verbo Romanae legis. Fugisset, imprudentibus excidisset, vel emissum esset. Sermo XII Tabb. apud* CICERONEM *Topicor. 17.*“ Sed nullibi il-

lustriora in hanc rem documenta extant, quam in *Mosaicarum et Romanarum Legum Collatione*, cuius auctor, qui fuerit, adhuc sub iudice lis est. Vid. IACOB. GODOFREDVS in *Prolegom. ad Cod. Theodosianum* c. III. et IO. AVGVSTVS BACHIVS, olim mihi et amicitiae vinculo, et studiorum similitudine coniunctissimus, qui, si diutius huius vitae vsura frui potuisset, nobis aliquando CVIACIOS et HOTOMANNOS erat relaturus, in *Historia Iurisprudentiae Romanae*, non minus eleganter, quam diligenter scripta, p. 570. sqq. Haec Collatio harum Legum primum a P. PITHOEO edita, doctaeque interpretationis luce collustrata, hoc seculo ab ANTONIO SCHVLTINGIO *Iurisprudentiae Antiiustinianeae* Operi, vere aureo, inserta, et adnotationibus Schultingianis, h. e. longe doctissimis, dilucidata p. 727. sqq. edit. Lugd. Batav. 1717. denique in HERMAN. CANNEGIETERI *Commentario* ad *Fragmenta veteris Iurisprudentiae* recocta, et hinc inde nouis Obseruationibus adornata reperitur. In primo huius Collationis Titulo inter alia haec sunt: „De casualibus homicidis Moyses legaliter (h. e. *iuste*, *recte*, pro illius temporis loquendi ratione) dicit:“ *Si quis non per inimicitias immiserit super eum* (hominem) *vas* (hoc nomine posteriorum temporum scriptores omnes fere res complexi sunt, quae nobis inter mobiles atque instrumenta domus numerantur, notante ad h. l. PITHOEO) *non insidians, vel lapidem, quo moriatur non per dolum, et ceciderit super eum et mortuus fuerit, si neque inimicus eius, neque quaesierit male facere ei, iudicabitis inter eum, qui percusserit, et proximum mortui, secundum iudicia haec, et LI-*

BERA-

BERABITIS percussorem. Quibus verbis Mosaicis allatis subiungit haec e quodam HADRIANI Rescripto: „*Qui hominem occidit, absolui solet, scilicet si NON OCCIDENDI ANIMO id admisit, et qui non occidit, sed voluit occidere, pro homicida damnatur.* Et mox ex Pauli libro quinto, „*Qui hominem occidit, aliquando absoluitur, et qui non occidit, vt homicida damnatur, CONSILIVM enim vnius cuiusque, non FACTVM puniendum est.* Et paucis interiectis e Codice *Gregoriano* hanc Imp. ALEXANDRI Constitutionem affert: „*Si modo, pro quo libellum dedisti, NON DOLO praestitit mortem: minime perhorrescat. Crimen quippe ita contrahitur, si et VOLVNTAS OCCIDENDI intercedat.*“ Denique eodem titulo continentur haec: „*Qualitas precum Iulii Antonini clementiam nostram facile commovit: quippe quod asseueret, homicidium se non VOLVNTATE, sed CASV FORTVITO feciſſe, cum calcis ictu mortis occasio praebita videatur. Quod si ita est, neque super hoc ambigi potest: OMNI eum METV, ac suspicione, quod ex admissi discrimine sustinet, secundum id, quod adnotatione comprehensum est, volumus liberari.* Haec ex laudata illa *Collatione*, quibus non nisi haec subnectamus: Bene Adrianus rescripsit: *in maleficiis VOLVNTATEM spectari, non EXITVM.* l. 14. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Et, *eum, qui hominem occiderit, si non animo occidendi fecerit, absolui posse.* l. 1. eod. Titulo. Sed satis de tota hac materia est disputatum. Neque enim mihi manus ferrea, neque tibi cor plumbeum. Nam, si omnia, quae ad hunc locum illustrandum quodammodo faciant, anxie corradere;

corrasa autem huc trahere et in vnum veluti aceruum congerere velimus: vix euitaturi simus, quin in iustam putidae et vanae doctrinae ostentandae suspicionem incurramus, eaque re Lectori taedium, fastidiumque creemus.

Finem igitur faciam scribendi, non autem TE, VIR ILLVSTRISSIME, eximiasque illas TVAS, rarasque virtutes, quarum veluti comitatu stipatus omnium bonorum animos venerabundos, oculosque in TE convertis, admirandi, colendi atque venerandi. Nam earum amabilissima, et non sine acri obseruantiae, pietatisque sensu spectanda imago, memoriaque iucundissima tam diu animo meo infixa haerebit, quamdiu mei ipsius fuero memor.



Alt Tk 3922

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-735913-p0042-9

VD18

ULB Halle 3
006 762 808

IOANNIS TOBIAE KREBSII

ILLVSTRIS MOLDANI RECTORIS

COMMENTATIO PHILOLOGICA

DE

AMICO CONSENSV

EBRAEORVM GRAECORVM ROMANORVM

IN POENA

HOMICIDAE NON VOLVNTARIO

CONSTITVENDA.

LIPSIAE

EX OFFICINA IACOBAEERORVM

CIↃIↃCCLXXXI

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)